


1  
2  
24  
25  
26  
27  
28  
29  
30  
31  
3



1680.

23. Mullerus, Petrus: De relaxatione carceratorum.  
24<sup>a, b, c, d</sup> Mullerus, Petrus: De dono nuptiali. 4 Sumpt.  
1680, 1688, 1714 & 1739.
25. Mullerus, Petrus: Collegii patricii ad titul. alt. Dy. de  
diversis regulis juris antiqui partes posteriores. 15.  
putatis X.
- 26<sup>a, b</sup> Mullerus, Petrus: De jure peregrinantium 28 sumpt.  
Mullerus, Petrus: 1680 & 1713.
27. VII Disputationes ad VIII partes pandectarum.
28. Mullerus, Petrus: De securitate metuentium
29. Mullerus, Petrus: De bene merito.
- 30<sup>a, b, c, d</sup> Mullerus, Petrus: De jure peretri sive emen-  
tationis. 4 Sumpt. 1688, 1711, 1735, 1739.
- 31<sup>a, b, c</sup> Mullerus, Petrus: De calore juvenili. 3 Sumpt.  
1680, 1718 & 1752.
- 32<sup>a, b</sup> Mullerus, Petrus: De deposito miserabili 2 Sumpt.  
1680 & 1714.









1680, 256

1279

COLLEGII PUBLICI

Ad

Titul. Ult. Digestorum

DE

DIVERSIS

REGULIS JURIS

ANTIQUI

PARTIS POSTERIORIS

DISPUTATIO X.

Quam

PRÆSIDE

PETRO MULLERO

U. J. D. & Prof. Publ.

*add. Januar.*

*Exercitii gratia exponit*

Christophorus Daniel Klefch.

Hungarus.

---

JENÆ, Literis Müllerianis. 1680.



MAGNIFICO. NOBILISSIMO. CONSUL-  
TISSIMO. ATQVE. EXCELLENTISSIMO.

DOMINO

DOMINO

JOACHIMO.

MARTINO.

Unverfähet/JC<sup>to</sup> CELEBERRIMO.

REVERENDISSIMI. ET. SERENISSIMI,

DOMINI

DN. AUGUSTI.

ARCHIEPISCOPATUS. MAGDEB. ADMI-  
NISTRATORIS. DUCIS. SAX. JUL. CLIV. | ET.  
MONTIUM, &c. &c.

CONSILIARIO. INTIMO. ET. CAN-  
CELLARIO. SPLENDIDISSIMO. &c.

DOMINO. PATRONO. AC. MÆCENATI.  
SVO. OMNI. HONORIS. ET. OBSERVAN-  
TIÆ. DEBITÆ. CULTU. ÆTERNUM. SUSPICIENDO.

IN. DEVOTI. ANIMI. TESTIFICATIONEM.  
ET. ULTERIOREM. STUDIORUM. SUORUM.  
COMMENDATIONEM.

HANC. DISSERTATIONEM.

SACRAM. ESSE. CUPIT.

Christophorus Daniel Klefch.

## DISPUTATIO X.

## LEX CXXXIII.

Gajus libro 8. ad Edictum provinciale.

Melior conditio nostra per servos fieri potest,  
deterior fieri non potest.

**I**psum rescripserunt Imp. Severus & Antoninus in l. 3. C. d. *part.* ac specialis ratio in eo consistere videtur, quod servi de jure gentium in eum imprimis finem dominis suis subiecti sint, ut ipsis serviant & acquirant §. 3. *Inst. per quas person.* Qui autem conditionem ejus, cui acquirere debebat, deteriore facit, non acquirit, §. *item inutilis Inst. d. inutil stipulat.*

*Limitatur I.*

Quando dominus concessit peculium servo, & hic cum alio contrahit, eo casu, conditio domini deterior fieri potest, idque tacita voluntate domini fieri intelligitur l. 29. §. 11. ff. d. *peculio.* Gunzel. *ad h. l.*

*Limitatur II.*

Quando delinquit servus, datur obliqua actio contra dominum, quæ noxalis appellatur, *r. r. Inst. d. noxal. actionib.* quia ex qua persona quis lucrum capit, ejus factum præstare debet, & cui emolumenta atque fructus acquiruntur, ad eundem detrimenta culpæ servi contracta pertinere debent Wesenb. *in parat. ff. d. noxal. action. n. 2.* In contractibus ergo melior tantum conditio Domini per servos fieri potest, in delictis verò etiam deterior Manz. *ad tit. d. noxal. action. n. 9.*

## NOTABILE.

Filius non potest deteriore facere conditionem patris l. 7. C. d. *reb. cred.* Hinc filius in præjudicium patris juramentum alteri deferre <sup>non</sup> potest. l. 155. d. R. 7.

X

LEX

## LEX CXXXIV.

Ulpianus libro 21. ad Edictum.

Non fraudantur creditores, cum quid non  
acquiritur a debitore : sed cum quid de bonis  
deminuitur.

Vide supra notata ad *l. 119. h. t.* Quibus adde : Quod ne-  
mo fiat pauperior, qui non acquirit *l. 5. §. 13. ff. d. donat.  
int. vir. & uxor.* & qui cum potest, non acquirit, patrimo-  
nium quidem non diminuat, sed tantum id agat, ne locuplete-  
tur *l. 6. in pr. & §. 2. quæ in fraud. cred. & l. hac 134.* Unde  
donatio inter Coniuges prohibita est *t. t. ff. & C. d. donat. in-  
ter vir & ux.* non autem non acquisitio *d. l. 5. §. 13.* ibi Ulpianus:  
*Si maritus heres institutus repudiet hereditatem donationis  
causa, Julianus scripsit libr 17. Digestorum, donationem valere,  
neque enim pauperior sit, qui non acquirat, sed qui de patri-  
monio suo deposuit.*

## §. I.

Nemo ex suo delicto meliorem suam condi-  
tionem facere potest.

Dolus suus nemini debet patrocinari *c. 15. X. d. rescript.  
ne quis præmium sui doli ferat l. 31. in pr. ff. d. recept.*

*Exemplum I.*

Tutor vel curator, cui defertur tutela vel cura, falsis  
allegationibus ad excusandum se vel effugiendum onus tutelæ  
vel curæ, non est liberatus ab onere & periculo tutelæ, textus est  
in *§. fin. Instit. d. excusat. tut. vel curat. & in l. 1. & 3. C. si  
tut. vel cur. fals. allegat. excus.* Qui ergo falsis allegationi-  
bus aliquid obtinuerit, carebit impetratis, *c. super literis. 20. c.  
ex tenore. 16. X. d. rescript.*

Ex-

*Exempl. II.*

Duo erant creditores correi stipulandi, uni cavi sub pæna de iudicio stipulandi, alter me impedit; Eo casu si socii sunt, obstat exceptio doli, quia ex dolo socii alter compendium facere non debet, & societas non debet esse medium improbi quæstus *l. 5. ff. si quis caution. sist. dest. caus. fact. ibiq. Brunnem. in comment.*

*Exempl. III.*

Renunciatio intempestiva ac fraudulenta liberat quidem socios, ut illi post hanc renunciationem sibi solis adquirant, sed renuncians à sociis non liberatur, imò lucrum illud, cuius intuitu callidè renunciavit, communicare & damnum ferre tenetur *l. 65. §. 3. ff. pro socio. Franzk. ad eund. tit. n. 115. Gomez. decis. singul. 1. num. ult.* Dicitur autem fraudulenter & dolo malo fieri renunciatio, si alter ex sociis societati renunciat, ut lucrum, quod alioqui obventurum esset communi societati, ad se solum transferat; quod duobus illustrat exemplis Paulus *in d. l. 65. §. 3. & 4.* veluti si in societate omnium bonorum unus ex sociis obveniente sibi luculenta aliqua hereditate vel lege vel testamento, ideo atque in eum finem societati renunciaverit, ut solus eam acquirat; add. *§. 4. Inst. eod.* vel si duo coierunt societatem ad certam rem emendam, postea autem alter eorum similiter ideo renunciet, ut solus emat suo nomine lucrumque capiat.

*Exempl. IV.*

Maritus qui uxorem sine justa causa expellendo aut male tractando in causa est, ut moreretur v. gr. si expulla extra ædes mariti, vel ex frigore, vel tonitru, vel alio infortunio vel aliter in exilio moriatur *Const. Elect. 26. p. 3. vers. darinnen Er oder Sie gestorben* / vel si maritus uxorem malitiosè deserat, tunc portionem statutariam & lucrum dotis in pactis dotalibus pro-



missum, vel hereditatem sive successiōnem perdit *l. 10. ff. solut. matrim.* Roland. *d. lucro dot. quest. 68. n. 1. & 11. & quest. 70. in pr.* Kohl. *d. success. conjug. p. 1. n. 34.* Quin & ob id in foro Saxonico lucro dotis privari debeat, dubitandum non est, uti cum aliis sentit Hartm. Pistor. *observ. 52. n. 3.* Conflit. Elect. 26. p. 3. ibi: **So soll dem schuldigen Theil das jezige / so ihm aus der Ehestiftung / Statut, Gewohnheit oder Recht von des Verstorbenen Gütern gebühret / nicht abgefoiget werden /** ibique Moller. Idem dicendum est, si maritus uxorem peste infectam & laborantem contra officium maritalē profus deserat, ut propterea lucrum & aliam portionem statutariam amittat, ne ex suo delicto commodum sentiat *d. Const. Elect. 26. p. 3. vers. oder in grosser Leibes Schwachheit* Farinac. *in sua prax. crimin. part. 4. tit. d. amiss. lucr. dot. qu. 129. sect. 4. n. 92.* Quin imò licet uxor jam peste non sit infecta, si tamen maritus propter pestem discedat, & uxorem adhuc sanam secum abducere nolit, sed eam unā abire volentem in loco pestifero relinquat, tunc maritus lucrum dotis etiam perdit, si postea uxor ex peste moriatur Franc. Ripa *in tract. d. peste c. 1. n. 204.* Berlicki. *p. 3. concl. 36. n. 23.*

*Limitatur*

Si maritus uxori ægræ & infirmæ de medicamentis, curâ, mulieribus scil. quæ illam in morbo pestifero sublevarent, prospexerit, ut proinde à lucro dotis aliæque ipsi ex statuto debita successione non sit repellendus, & ita teste Carpz. *p. 3. c. 26. d. 2. & 3.* pronunciarunt Jcti Lipsienses.

*Exemplum V.*

Quando quis alterum decepisset in transigendo, vel dolo transactionem extorsisset, deceptor verò postmodum vellet allegare illum dolum petereque ut rescinderetur transactio, nihil obtinebit, *l. 30. C. d. trans.* propriam enim allegans turpitudinem

nem non erit audiendus l. 7. C. d. rest. min. add, Jacob. Schultes ad  
 Modest. Pistor. p. 4. qu. 40. n. 9. Barbos. axiom. locupl. l. 18.  
 c. 33. 2X. 5.

*Limitatur Regula.*

Quando quis per indirectum ex suo delicto commodum  
 sentit; utpote si lex per diuturnitatem temporis delictum pur-  
 gat. Sic res furtivæ qualitas & vitium illud reale per longis-  
 simi temporis spacium annorum XXX. in foro civili, & XXXI.  
 annorum 6. septiman. & 3. dierum in tantum purgatur, ut e-  
 tiam ipse fur & violentus possessor rem præscribat l. 4. C. d. præ-  
 script. 30. vel 40. ann. l. 1. §. ad hæc C. d. annal. except. Schnei-  
 devv. ad tit. Inst. d. usucap. & præscript. rubric. *Quæ res*  
*præscribi. poss. num. 60.* ubi hoc etiam de jure Canonico procede-  
 re dicit Francisc. Bald. tract. d. præscript. 2. p. 3. pr. qu. 12. n. 6.  
*vers. quam conclusionem limita.*

NOTABILE

Quando Reus in Quadruplica, vel ultima positione  
 im letzten Satz / novi quid producit, ad quod actor non fuit  
 auditus, illud sanè non attenditur. Dolo enim non vacat, qui  
 quod statim in judicio opponere potuisset, celat & subticet in  
 præjudicium partis adversæ, quousque ipsam amplius non au-  
 endam esse putat, utpote qui committitur nimia accelerations  
 & protractione l. 32. ibi. *verùm si ideo properasset ff. d. dol. mal.*  
 Angel. cons. 94. n. 6.

LEX CXXXV.

Ulpianus libro 23. ad Edictum.

Ea, quæ dari impossibilia sunt, vel quæ in re-  
 rum natura non sunt, pro non adjectis haben-  
 tur.

Impos.

Impossibilia non solum illa dicimus, quæ nullo modo fieri possunt, sed & quæ præstari difficulter & penè cum ipsius rei interitu possunt *l. 39. §. 7. & seqq. ff. d. legat. 1. l. 125. in fin. ff. d. V. S.*

Dividitur Impossibilitas in tres species, quas post *gloss. in c. nemo d. R. 7. in 6.* Dynus *ibidem num. 1. & 2.* refert, Una est *Natura*, altera *Juris*, tertia *Facti*, add. Bart. *in l. continuus §. illud 1. 2. d. V. O.* quibus à DD. rectè additur quarta *Contradictionis* & *perplexitatis*.

Impossibilitas *natura* est, quum natura impedimento, quò minus aliquid exstat, h. e. evenire possit vel non possit §. *si impossibilis Inst. d. inutil. stipul.* veluti virum parere, solem, stellas, vel coelum attingere aut ascendere *l. 7. l. 137. §. cum quis & ibi DD. ff. d. V. O. l. 35. in pr. eod.* sub appellatione hujus speciei contineri etiam ea possunt, quæ non sunt in rerum natura *l. 135. d. R. 7.* uti Centaurus in rerum natura non esse dicitur *in §. 1. Inst. d. inutil. stipul. l. 97. ff. d. V. O.*

Impossibilitas *juris* est, quam aut Lex, aut Senatus, aut Princeps improbat *l. non dubium C. d. legib. l. 35. d. V. O. l. 14. ff. d. condit. instit.* ea enim nos posse dicimur, quæ jure possumus, & potestas ejus propriè dicitur, quod honestè & absque injuria alterius possumus §. *1. ibi aut jure prohibetur Inst. d. jur. personar.* ejus generis sunt adulterium *l. 5. C. d. condit. ob turp. homicidium l. 27. ff. d. V. O. furtum l. 27. §. 4. ff. d. pact.* injuriam facere §. *illud quoque Instit. mandat.* patrem ab hostibus non redimere, parenti alimenta non præstare *l. 59. ff. d. condition. institut.* Hæc enim omnia sunt contra bonos mores, juris dispositionem, pietatem, religionem & humanitatem *d. l. 9. l. 14. & seq. eod. & propriè turpia §. 24. Inst. d. inutil. stipulat.*

Impo-



Impossibilitas *facti* vel *proprie* dicitur, vel *improprie*. *Proprie*, vel *simpliciter*, vel *ex suppositione*: *Simpliciter*, ut restituere defloratæ virginitatem *arg. l. 31. d. R. J.* *Ex suppositione* impossibilitas *facti* est, quando ob eventus permagnam difficultatem aliquid dicitur fieri non posse; ut si quis in testamento servo ascribat libertatem si milles centena nummorum, (quæ summa juxta æstimationem Budæi, vicies quinque centena aureorum excedit) dederit.

Impossibilitas *contradictionis* s. perplexitatis exemplum est in *l. 16. ff. d. condit. instit.* ubi ita scriptum est: Si Titius heres fuerit, Sejus heres esto: Si Sejus hæres erit, Titius heres esto. Aliud exemplum in *l. 9. ff. d. V. O.* ubi perplexum atque impossibile esse dicitur: Si tibi fundum promittam, si eum Titio non dederò, & promittam eundem fundum Titio, si tibi eum non dederò. Hæ conditiones, quoniam perpetuò in se recurrunt, exitum habere posse non videntur Cujac. in *l. 87. ff. ad L. falcid. D. Ungepaur. diff. d. possibili & impossib. th. 18. & seqq.* Hic ita præmissis dicendum est: Si impossibilitas obligationi *pure* adjecta est, eam pro non adjecta haberi, id est, non vitare contractum *h. nostra lege. D. Ungepauer. d. l.*

*Exemplum. I.*

Stipulatus sum te sisti (*hæc una est stipulatio*) Nisi te sistas, hypocentaurum dari vel hominem liberum promittas, (*altera stipulatio est*) Hæc ultima stipulatio pro non scripta est, neque inutilis adjectio vitiat stipulationem, licet liber homo etiam dari non possit *l. 97. l. 103. l. 126. d. V. O.* veluti nec Hypocentaurus. Hæ igitur adjectiones inutiles sunt, & pro non adjectis habentur salva principali obligatione, cui sunt adjectæ *l. 1. §. 5. d. V. O. c. utile 37. d. R. J. in 6.*

*Exemplum II.*

*Servus* pontificiæ religioni addictus patruelem, qui  
Evan-

Evangelicam religionem profitetur, instituit heredem, vel ei reliquit legatum sub hac conditione: *Si pontificiam religionem fuerit amplexus.* Hic si conditionem adimplere nolit, nihilominus heres est, vel capax legati, quia conditio adjecta pietatem, conscientiam & existimationem legatarii lædens pro impossibili & pro non scripta seu adjecta habetur *h. l. add. §. fin. l. 15. ff. d. condit. instit. l. 1. §. 22. d. condit. & demonstr.* Ideoque institutio ista seu legatum censetur purè relictum, adeoque cedit legatario in sua religione persistenti Arumæ. *disc. acced. d. jur. publ. 10. tom. 2.* Carpzov. *dec. 80. n. 7. & seqq.* ubi Scabinos Lipsienses pronunciaſſe refert: *So möchte Ihme doch das Legatum nicht verweigert werden / sondern es wurde die angehängte Condition, gestalten Sachen nach / pro non scripta, und also das legatum pro puro gehalten / Demnach Er sich dessen / ungeachtet Er bey der Lutherischen Religion verbleibet / anzumassen wohl befugt / B. R. W.*

*Limitatur Regula. 1.*

Si impossibilitas principaliter continetur obligatione vel dispositione.

v. gr. Si Titius promittit vel leget rem, quam impossibile est dare, impossibilitas omnem obligationis speciem impedit §. 1. *Inst. d. inutil. stipul.*

*Limitatur II.*

Si in contractibus impossibilitas in conditione est affirmativè.

Quando quis promittit: *Si cælum ascenderis, vel digito attigeris,* talis conditio reddit contractum inutilem §. *impossibilis l. d. inutilib. stipulat, l. 31. d. O. & A. l. 9. §. 5. d. reb.*

*credit.* ubi nulla vocatur stipulatio; Quia contrahentium [ta-  
lis est cogitatio, ut nihil agi existiment *d. l. 31. l. si stipulor. 35.*  
*d. V. O.*

## NOTABILE I.

Si negativè concepta est in contractibus, ut si promitto:  
*Si cælum digito non tangis*, valet contractus, & hæc non suspen-  
dit, multò minus vitiat stipulationem, imò ista negativè conce-  
pta impossibilitas efficit ut contractus valeat & obligationem  
pariat *d. l. impossibilis d. V. O.* ibique gloss. Jason, Castrens.  
aliisque.

## NOTABILE II.

Quamvis conditiones impossibiles ultimis voluntatibus  
insertæ nec institutionem heredis, nec legata, nec fideicom-  
missa nec dationem libertatis vitient, sed ipse vitientur; Si ta-  
men Pater vult ascribere conditionem in institutione filii, po-  
testativâ debet ascribere, *h. e.* quæ i va filii pendet potestate & ar-  
bitrio. In tantum ut si pater filio aut turpem aut impossibi-  
lem conditionem adscripserit, rejecta conditione non valeat te-  
stamentum, sed ex facti odio & indignitate corruerat  
*d. l. 15. § l. fin. si filius ff d. condit. instit.*

## LEX CXXXVI.

Paulus libro 18. ad Edictum.

Bona fides tantundem possidenti præstat,  
quantum veritas, quoties lex impedimento  
non est.

**B**ona fides in præsentia materia juxta ductum *l. 109. ff. d. V. 8.*  
est animi sententia firmiter sibi persuadentis, auctorem su-  
um fuisse dominum, vel domini transferendi potestatem ha-  
buisse. Hæc bona fides s. ignorantia rei alienæ eximios pro-

Z

du-

ducat effectus, inter quos est, quòd bona fides tantundem præstet possidenti, quantum veritas *h. l. quâ conditio veri domini, & bonæ fidei possessoris in eo exæquatur*, ut, quicquid ille veritatis intuitu ex re suâ percipiendo acquisivit, istud hic præsumtionis beneficio ex re alienâ consequatur.

*Exemplum I.*

Bonæ fidei possessor omnes indistinctè fructus tam naturales, quàm industriales percipiendo suos facit; idque ex comparatione veri domini cum bonâ fide, seu quasi dominio *h. l. & l. 49. d. V. S. l. 25. pr. & §. 1. ff. d. usur.* D. Struve *Syntagm. jur. Civil. exerc. 11. th. 21.* D. Franzk. *exerc. 4. qu. 7.* Philip. *in us pract. Instit. eccl. 15.*

*Limitatur*

Nisi lex impedimento sit, ne rei alienæ quicquam percipiatur.

*H. l.* Sic bonæ fidei possessor rem ulterius alienans usucapiendi facultatem transferre potest, ita ut inter venditorem & emptorem aliosque singulares successores tempora conjungantur *§. 10. Inst. d. usucap.* Verùm hoc in re furtiva nõ procedit, furtivæ enim res etiam si longo tempore bona fide possessæ fuerint, per legem 12. tabularum usucapi non possunt *§. 2. Inst. eod. D. Richter p. 1. decis. 96.*

NOTABILE I.

Etsi rei furtivæ dominium ex contractu alterius nemo consequi potest; Si quis tamen bona fide eam consumserit, necessitate ita ferente per consumptionem id consequitur, ut ita Dominus eandem ab eo, qui bona fide consumsit, vindicare amplius nequeat, propter *l. 6. ff. d. R. V.* Neque verò etiam, si is vendit, pretium ex eâ redactum ab eo tanquam furtivum condicere potest, quia id furtivum non est *l. 48. §. fin. ff. d. furt.*

In

In his tamen casibus adversus eum, qui bona fide consumsit, aut alienavit, ex æquo & bono datur actio, in quantum ex ea re locupletior factus est *l. 14. ff. d. condict. indeb l. 32. ff. d. R. C.* quam sententiam quatuor præjudiciis confirmat Carpzov. *in pract. crim. qu. 87. n. 71. & seqq. Jurispr. for. p. 4. c. 40. d. 9.* add. D. Richter. *p. 1. dec. 96. n. 24. & seqq.* D. Fromman *disfert. 1. vitio furtivitatis th. 25.*

## NOTAB. II.

Publiciana in rem actio (quæ est actio in rem prætoria, quâ is qui non domino bona fide & justo titulo rem accepit, indeque potius jus habet adversus quemlibet, jure infirmiori possidentem, intendit rem, nondum usucaptam, perinde ac si usucepisset, suam esse, sibi que eam restituendam Mynsinger. *ad §. 4. Instit. d. action.*) & rei vindicatio (quæ solis datur dominis) in multis conveniunt, utpote (1.) quoad effectum, sc. quoad consequendam rem petitam, (2.) quemadmodum Rei vindicatio datur, ut aliquis dominum seu jus suum declaret, ita publiciana competit ad declarationem quasi domini (3.) in eo conveniunt, quod competat Publiciana contra possidentem & eum qui dolo desit possidere, sicut Rei vindic. (4.) in utraque actione contra rem non restituentem juratur in litem *l. 68. ff. d. R. V.* (5.) in utraque obmendacium neganti possessio aufertur *l. fin ff. d. R. V.* denique (6.) eadem veniunt restituenda in utraque actione *per l. d. 7. §. 8. junct. §. 6. ff. d. publ. in rem act.* In multis itidem discrepant (1.) origine: Rei enim vindicatio ex jure Civili promanat. Publiciana verò ex jure prætorio *d. §. 4. Inst. d. act.* (2.) Illa verò domino: hæc quasi domino competit (3.) Illa locum habet in rebus corporalibus tam mobilibus quam immobilibus. Hæc non solum in illis, sed & incorporalibus locum habet Schneidv. & Mynsinger. *ad d. §. 4. Inst. d. act. n. 55.*

## LEX CXXXVII.

Ulpianus libro 25. ad Edictum

Qui autore iudice comparavit, bonæ fidei  
possessor est.

**M**agna est & esse debet iudicis in civitate autoritas, ita ut  
semper pro ipso præsumatur ipsum justè agere, donec con-  
trarium probetur. Hinc qui autore h. e. decernente ita quid  
iudice comparavit, in mala fide esse nequit.

*Exemplum I.*

Creditor agit adversus debitorem, ut solvat. Hic sol-  
vere iussus non paret iudicato. Bona debitoris ad instantiam  
Creditoris per Magistratum distrahuntur. Eo casu non credi-  
tor, sed debitor ad evictionem obligatur *l. 13. C. d. evictionib.*

*Exemplum II.*

Habet quis in certo loco jus sepulchri. Viam solitam  
abstulit flumen. Vicinus viam renuit precario concedere,  
ut funus ad locum illum deduci queat. Eo casu vicinus  
non jure actionis civilis, sed ex officio iudicis nobili & extra  
ordinem, cogi potest ut viam precario concedat, toties, quo-  
ties sepeliendus homo est; vel compelli potest vicinus ut iter  
vendat, ita tamen, ut via ita concedatur, ut cum minimo  
damno vicini fiat *l. 12. ff. d. religios. & sume: funer.*

*Exempl. III.*

Quando colonus vel inquilinus est mortuus, nec sit, unde  
funeretur, Prætores ad eundem, & ex inventis illatis eum fu-  
nerandum Pomponius scribit: & si quid superfluum re-  
manserit, hoc pro debita portione teneri *l. 14. §. 1. ff. d. religios.*  
& si nihil sit in bonis defuncti, unde impensæ funeris fieri  
possent, rectè autore iudice res legata in eam causam ad-  
hibentur *d. l.*

*Exem-*

*Exempl. IV.*

Quando alicui servus alienus pro noxia, h. e. damno dato adjudicatus fuit, & eum jussu judicis duxit, juste eum possidet *l. 28. in fin. ff. d. noxal. act. l. 2. ff. si ex noxal. caus. quia qui autore pratore possidet, ille recte possidet. l. 11. ff. d. acqu. possess.*

*Exempl. V.*

Si prator decreverit solvendam pecuniam minori sine curatoribus, & solverit debitor, excusatur propter jussu judicis, nec minor in integrum restitui volens audietur *l. 7. §. 1. ff. d. minorib.*

*Exemplum VI.*

Quando de fundis alienis tanquam communibus judicio communi dividendo actum & sententia lata est, ex adjudicatione possidetur, ut usucapio procedere possit *l. 17. ff. d. usucap.* ita autoritas judicis facit, ut etiam in eo, quod nobis traditur tanquam nostrum, transferatur usucapiendi conditio Gothofr. *ad d. l.*

*Limitatur Regula.*

Quando judex vel Magistratus ordine juris non servato procedit.

Tunc enim Judex jus alteri auferre dicitur *l. 3. C. d. judic. l. 3. C. d. fruct. & lit. expens. l. 32. C. d. decur.* in primis si petens intelligit judicem nimis in procedendo properare, fit ut nunquam mala fide careat, Felin. *in c. dilectus 26. d. rescript.*

NOTABILE I.

Per sententiam erroneam & injustam datur justus titulus & usucapiendi conditio Molinæus *cons. 17. n. 29. Klock. vol. 1. cons. 2. n. 46.*

Z 3

NO

## NOTABILE II.

A iudice majori omnia ritè peracta præsumuntur Duenn. *infallent. regul. 189. versic. limita primo fol. 292.* Quando vero incompetens est, etiamsi ordine judiciario plenè observato processerit, spoliare dicitur Menoch. *recuper. remed. 8. n. 13.*

## LEX CXXXVIII.

Paulus libro 27. ad Edictum

Omnis hereditas, quamvis postea adeatur tamen cum tempore mortis continuatur.

Vide notanda infra ad l. 193. h. t.

## §. I.

Nunquam crescit ex post facto præteriti delicti æstimatio.

Delicti æstimatio facienda est ex eo tempore vel facto quo & quali perpetratum est, non ex post facto, vel ex tractu tempore, aut casu fortuito, sit quid accidit.

*Exemplum I.*

Vulneratus quis est, sed non lethaliter, ita ut actio saltem ex L. aquilia locum habeat. Ast ex mala cura Medici vel etiam suâ negligentia ægrotus perit. Sanè propter alterius medici scilicet culpam, vel suâ, quæ ex post facto accidit, non potest æstimari vulnus tantum, ut ex L. Cornelia de Sicariis possit agi seu de occiso, sed tantum de vulnerato l. 30. §. ult. ff. ad L. Aquil. quia vulneratio est tantum causa remota mortis Brunnem. *ad d. l.* Nec casus adventitii sunt computandi. Et prædicto casu suæ negligentia & sibi ipsi hunc casum mortalitatis imputare debet, quod ex vulnere non lethali postea sua negligentia reddiderit lethale Damhoud. *in prax. crim. cap. 77. n. 9. & seqq.* Gail. *observ. 111. n. 23.* Hisce ergo duobus con-

cur.



currentibus, non mortalitate vulneris, culpa seu malo regimine vulnerati, vulnerans non de occiso, sed de vulnere tenetur *d. l. 30. ad L. Aquil. Sanctio. crimin. Carol. V. art. 148. in pr. ibi*: So einer geschlagen wird / und über etliche Zeit darnach stirbt / also daß zweifentlich were / ob er der geklagten Streiche halber gestorben were oder nicht &c. Blanc. *in pract. crimin. in 1. part. defens. S. 115. sic premiffis n. 68. Carpz. p. 1. crimin. quest. 26.*

*Exemplum II.*

Furatus est quis equum qui tempore furti valebat 4. aureis. Deprehensionis tempore valet 6. aureis. Sanè tur non potest poenâ laquei affici, sed arbitrarie *arg. l. 9. ff. d. furt.*

*Limitatur Regula*

Si quid per consequentiam præcedentis facti eveniat.

Sic quando fur rem melioraverit suis expensis, & res illa perit, restituere debet æstimationem, quanti plurimi fuit, harumque meliorationum æstimatio utique facienda est, etiam juramento actoris *l. 9. d. in lit. jur. licet expensis furis sint factæ l. 13. Garfias d. expens. c. 2. n. 12.* Quemadmodum etiam in æstimatione rerum amotarum respicitur, quanti res valuit tempore amotionis & quanti plurimi postea valuit *l. penult. rer. amot Barbos ad l. 8. §. fin. 163.*

NOTABILE

Ob triplex furtum, quod non summam 5. solidorum excedit, propter solam reiterationem poena laquei non est imponenda vid. Carpz. *p. 2. crimin. quest. 78. n. 80. & seqq.* Disert. nostra criminal. 2. th. 16.

LEX

## LEX CXXXIX.

Gajus libro ad Edictum Prætoris Urbani.

Omnes actiones, quæ morte, aut tempore pereunt, semel inclusæ iudicio salvæ permanent.

Vide notata supra ad *l. 86. h. t. exempl. 4.*

§. I.

Non videtur perfectè cujusque esse, quod ex casu auferri potest.

Videantur supra dicta ad *l. 11. & 13. h. t.* Quibus addendum: Quòd per casum hic non intelligatur casus fortuitus, aut vis major, quò sensu Idem Gajus istam vocem *in l. 1. §. & ille quidem ff. d. obl. & act.* accipit; sed casus hoc loco intelligi debeat de simplici ac naturali rei eventu, qui vel ex contractu, vel ultima voluntate pender, uti *in l. 16. ff. ad L. Aquil.* accipitur, Matthæi ad *h. l.*

## Exemplum.

Cajus mortis causa donat Mevio auream catenam eamque ipsi tradit. Eo casu Mevius consequitur quidem dominium, auct revocabile; ita ut casu accidere possit, ut si pœniteat seu voluntatem mutet donator, revocata censeatur hæc donatio. Si enim mortis casus seu eventus, quem donator in specie quis respexit, non secutus fuerit, pro irrita & revocata habetur *l. 6. & seqq. l. 35. §. 3. 4. d. mort. caus. don.* Vel si ægro- tans donaverit, non videtur perfectè facta donatio, cum ex casu ei auferri possit, si donator convalescit §. 1. *Inst. d. donat. l. 29. 30. 35. §. 5. ff. d. donat. mort. caus.*

## NOTABILE

Quamvis per contractum emtionis venditionis subsequat

tra-

traditione transeat dominium ad emtorem; si tamen huic contractui adjectum sit pactum de retrovendendo, hoc illud operatur, ut dominium sit revocabile, ita ut emtor heresque ejus post oblatum a venditore pretium retrovendere ac legi seu pacto stare teneantur, & actioe venditi vel in factum conveniri possint *l. 2. C. d. pact. int. empt. & vend. compos. ubi Donell. n. 3. l. 6. junct. l. fin. C. d. rer. permut.*

## LEX CXL.

Ulpianus libro 56. ad Edictum.

Abfentia ejus, qui Reipublicæ causa abest, neque ei, neque alicui damnoſa eſſe debet.

Reipublicæ causa abeſſe dicuntur, qui vice ac nomine publici muneris, negotii vel officii, cui præſunt aut adſunt, ab urbe profecti ſunt, uſque quo revertuntur; uti Proconſul ejusque Legatus, Præſes Provinciæ, Præfectus Ægypti, Procurator Principis, Tribuni & Præfecti militum, Legati ad Imperatorem, illorumque comites, in ærarium vel commentarium relati *l. 32. l. 35. l. 38. §. 1. ff. ex quib. cauſ. maj.* Miſſi ad gratulandum Principi *d. l. 35. §. 1. l. 1. C. ex quib. cauſ. maj.* Item qui in expeditionibus occupati, qui ve a ſignis abſq; periculo diſcedere nequeunt, horumdemq; Medici, uxores, profecti extra patriam publicæ utilitatis gratia, hi alii que Reipublicæ causa dicuntur abeſſe vidd. *D. D. ad dict. text.* Iſi autem, qui ita abſunt, in rebus conſervandis amittendis que ſic proviſum eſt, ut illis res, atque jura, ſerta tecta ſerventur, & damnum in his paſſis reſtitutio detur *l. 1. pr. & t. ff. C. ex quib. cauſ. maj. l. 9. ff. d. legat. h. l. 14. d. R. 7. l. ab hoſtibus C. d. poſtlim. reverſ. l. nullo C. d. rei vindic.* Hujus reſtitutionis cauſa eſt læſio, & quidem juris *l. 1. §. 1. ff. ex quib. cauſ. maj. non facti l. ult. C. cod. quæ contingit, ſi quis acquiſitum amiſerit per uſucapio.*

nem, præscriptionem : cujus cursum non sistit impedimentum facti *l. 18. C. d. postl. revers.* neque juris, extrinsecus adveniens, ut ferix *l. 26. §. 4. 7. ff. ex quib. caus. maj.*

*Exempl. I.*

Militi legatum est relictum sub conditione. Legatarius propter absentiam non potuit implere conditionem. Eo casu restituitur *l. 27. ff. ex quib. caus. maj. l. 41. l. 47. eod. Welsch. paratitl. ad Cod. tit. ex quib. caus. maj. Carol Ruin in rubr. ff. solut. matrim. n. 242. Köppen. decad. enucl. 6. n. 100.*

*Exempl. II.*

Bona eorum qui reipubl. causa absunt, pro clarigationibus, sive pignorationibus, quas repressalias vocat, detineri possunt Peckius *de jure sistend. cap. 5. n. 9. Coler. d. process. execut. p. 2. cap. 3. n. 191.*

*Exempl. III.*

Quamvis in eorum, qui reip. causa absunt, bona missio ex primo decreto fieri possit, si non defendantur *l. 35. ff. d. priv. cred. l. ignorare C. d. rest. mil.* Salva tamen manet illis restitutio Oddus *d. restitut. qu. 68. art. 3.* neque ad secundum decretum, vel venditionem procedi potest *l. 6. §. 1. ff. ex quib. caus. maj.* neque possessio auferri *l. 35. ff. d. priv. credit. c. 2. X. d. eo qui mitt. in poss. caus. rei serv. c. 3. eod.*

*Exempl. IV.*

Cajus iter fecit ; excidit ipsi bombardam valde pretiosa, quam invenit Cornelius, ignarus ad quem spectaret, vendidit eam proinde Sulpitio. Postea Sulpitius legationem Reipublicæ causa suscepit, & à Principe suo ad Regem Hispaniæ missus, eam secum tulit, atque per triennium absuit. Cum autem reverteretur, vidit apud ipsum bombardam suam, quam noluit restituere. (*ita Casum format Manzius ad S. 5. Inst. d. action.*) Ne itaque absentia reipublicæ causa facta aliis damnosa sit, Præ-

tor

tor ex æquitate (cùm jure civili ob completam usucapionem & inde acquisitum dominium nulla detur) concedit actionem, quæ vocatur rescissoria; Nam per Cajum non stetit, quo minus faceret, ut proinde haberi debeat, atque si factum fuisset *c. cum non stat 66. d. R. J. in 6.* cessante igitur causa usucapionis cessat usucapio, hic autem cessat causa, videlicet negligentia. E. Manz. d. l.

*Exemplum V.*

Qui propter justam absentiam impeditus est, quo minus delatam sibi hereditatem adierit, interimque decessit, is quamvis major fuerit, beneficium tamen restitutionis in integrum heredi relinquit, eum in finem, ut is hereditatem illam, quamvis non aditam, consequatur *l. 30. pr. ff. d. acq. hered. Modest. Pistor. quest. illustr. part. 4. qu. 131. n. 250.*

*Regula Limitatur. I.*

Quando delinquent absentes reipubl. causa tunc ex delictis obligantur *l. 24. §. 1. ff. d. jud. sive ipsi admisserint, sive eorum servi d. l. vid. l. 1. C. d. exec. & exact. l. 5. C. d. jur. fisc. aut uxores l. 4. §. 2. ff. d. offic. procons.*

*Limitatur II.*

Si affectata est absentia, tunc ipsis non prodest, nullum enim impedimentum affectatum excusat Oddus *d. restit. p. 1. qu. 27.* Hillig. in Donell. *l. 21. c. 5. lit. G.* & Callistratus in *l. 4. ff. quibus ex caus. maj. ait: Dolum malum eo pertinere accipi, ut qui reverti potest, neque reverteretur, in eo, quod per id tempus adversus eum factum est, non adjuvetur: veluti, si alterius grandis commodi captandi gratiâ id egerit, ut Reipubl. causa abesse, revocatur ab isto privilegio.* & Ulpianus in *l. 5. cod. infert: qui data opera & sine lucro hoc affectaverit, vel maturius profectus est, vel litis gratia cepit Reipublica causa abesse.*

*Limitatur III.*

Si non coacti Reipublicæ causa absunt, sed lucri sui causa procuraverunt legationem, *l. 36. ff. ex quib. caus. maj.* Hinc Mercatores Reipubl. causa non absunt, adeoque nec restitutionem merentur, quando ad nundinas proficiscuntur Oldendorp. *class. 6. act. 9. qv. 3.* Brunnem. *ad d. l. 36.*

*Limitat. IV.*

Non datur restitutio in integrum, si is qui Reipubl. causa abest, idem damnus domi erat passurus, seu, quando absens fatale damnum passus esset, quod etiam præsentia accidisset, quia damnum hoc non immediate ob absentiam ipsi accidit *l. 44. ff. ex quib. caus. maj.* v. gr. Si antequam quis abiret, rem suam esse ignoraverit, quæ ab aliis possidebatur, si reversus impleta usucapione ita resciscat, ut tamen appareat, non prius rei illius notitiam consecutum fuisse, etsi semper adfuisset, restitutio omnino neganda Hillig. in Donell. *lib. 21. c. 5. lit. H. in fin.* vel si immissionem in bona nec præcise evitare potuisset, non datur restitutio *l. 41. C. rest. milit.* Brunnem. *ad l. 44. ff. ex quib. caus.*

## NOTABILE I.

Actio rescissoria datur illi, qui rem, sive jus in re, propter absentiam, per usucapionem amisit, & omnibus ejus heredibus *l. 35. §. 6. ff. l. ult. C. ex quib. caus. maj. l. 6. ff. d. restit. in integr. l. 2. l. 7. C. d. rest. mil.* adversus quemque possessorem, tam universalem, quam particularem successorem *l. 17. l. 30. pr. ff. ex quib. caus. maj.* ad id, ut prior dominus declaretur, & restitutio petatur cum omni causa & fructibus *l. 28. §. fin. ff. eod.*

## NOTABILE II.

Restitutio, quæ ratione absentia datur, plenior est eâ, quæ datur minoribus ob ætatem Alb. d. Rosate *ad l. 40. ff. ex quib. caus. maj.* Rol. à Valle *vol. 2. cons. 10. n. 11.* NO-

## NOTAB. III.

Quamvis per Rempublicam intelligatur κατ' ἐξοχήν Romana, tribuitur tamen nomen Reipublicæ non tantum singulis civitatibus, & municipiis *l. 13. §. 1. ff. d. publician.* sed etiam castris, villis, vicis, burgis, terris & universitatibus, quæ per administratores reguntur *d. l. 13. §. 1. d. publ.* Jason *in l. 15. n. 15.* Losæus *d. jure univers. p. 1. c. 2. n. 34.* Specul. *lib. 2. part. 3. d. restit. in integr. §. 2. n. 20.* Ut proinde ii qui harum nomine absunt, dici possint reipublicæ causa abesse, si non ἀνεσθῶς, & ad verba Edicti Prætoris, saltem quoad alios effectus juris, qui constitutionibus Principum continentur, quæ largiorem admittunt interpretationem *l. 3. ff. d. constit. princ.* D. Fromman. *dissert. d. his qui reip. caus. abs. t. h. 4.*

## NOTABILE IV.

Etsi mulieres propriè non absunt reipublicæ causa Gloss. *in l. 1. verb. ad exemplum C. d. uxorib. milit.* quia munera reipublicæ publica non sustinent *l. 2. ff. d. R. J. l. 14. C. d. contrah. stipul. l. 1. §. 5. ff. d. postuland.* Illis tamen, quæ cum maritis reipubl. causa absentibus peregrinantur, & absunt, ad exemplum militum, & absentium reipublicæ causa subveniri solet, si interim per absentiam aliquid damni passæ fuerint *l. 1. 2. C. d. uxor. milit.* præsertim cum pro eadem personâ cum maritis habeantur.

## LEX CXL.

Paulus libro 54. ad Edictum.

Quod contra rationem juris receptum est, non est producendum ad consequentias.

**V**id. supra notata ad *l. 68. b. r.* & huic similis est lex *162. infra b. r.* Illud autem contra rationem juris receptum esse dicitur, quod singulariter ob evidentem aliquam utilitatem vel necessitatem constitutum est *l. 16. ff. d. legib.* Et privilegium tem-

perat legem communem *l. 25. C. ad SC. Vellej.* & certo modo esse solet *ἐπινοήματα* illius atque æquitas quando scilicet præter universale postea quippiam ex personæ, vel rei, vel causæ qualitate contigerit, quod in lege omissum, aliud iustum producit, non diversum genere à communi iusto, sed specie, ceu differit Aristot. *lib. 5. Eth. Nicem. c. 14.* Privilegium itaque jus est, sed genere idem cum universali *arg. l. jus singulare 16. ff. d. legib.* præter Exempla supra *in l. 68.* posita addi potest

*Exemplum I.*

Singulariter receptum est, ex peculii causa ignorantibus dominis per servum quæri possessionem, ne cogantur domini per singula momenta species & causas possessionis inquirere *l. peregere §. quasitam ff. d. acq. possess.* Illud ergo ad alias res producendum non est, ut scil. extra causam peculiarem domino ignorantis servus possessionem acquirat per *l. 1. §. item acquirimus d. acqu. vel amitt. poss.* Idem dicendum est, Patri ignorantis ex sola causa peculiari per filiumsam. possessionem acquiri *l. 1. §. item acquirimus. d. acqu. vel amitt. possess.*

*Exemplum II.*

Singulare est, ut in alienatione bonorum pupillorum vel minorum prius deveniatur ad nomina, quàm ad bona immobilia *l. 15. §. 2. ff. d. rejudicat.* ibique Bartol. *§. in venditione n. 1.* Quod ad eum casum, ubi pupillus vel minor invito creditori nomen vel obligationem Cameralem Principis in solutum dare vult, non trahendum est; Quoniam in alienatione majus periculum versatur, quàm in simplici executione Berlich. *p. 2. decis. 196.* Jura autem singularia, quæ alienationem duntaxat concernunt, non possunt trahi in consequentiam *h. l. nostra & l. 14. 15. 16. ff. d. legib.*

*Limitatur*

Illud, quod contra rationem inductum est, si omni ratione destituatur *l. 39. ff. d. legit.* vel jus tertii lædat planè non valere; quia non conveniens est, ut inde nascatur injuriæ occasio, unde



unde jura oriuntur l. 2. §. 16. C. ne quid in loco publico fiat. l. 2. C. d. precib. Imper. offer. Anton. Fab. in Cod. lib. 1. tit. 11. d. 1.

## NOTABILE

Nonnunquam infirmitas hominis, morbosæve temperates faciunt, ut à regulis juris recedatur l. 15. ff. d. jurejur. Hinc veniunt Privilegia tempore contagionis concessa, inprimis circa solemnitates testamentorum, Finckelthaus. obs. pract. 14. Furiosorum t. t. ff. & C. d. curat. furios. Surdorum l. 2. qui morbose excus. Diuturno morbo laborantium d. l. 15. d. jurej. Petrus Gregorius in syntagm. juris lib. 3. c. 8.

## §. I.

## Uni duo pro solido heredes esse non possunt.

Heredes duo hæreditatem in solidum habere non possunt; quemadmodum duo in solidum domini esse nequeunt l. si ut certo §. fin. ff. commodati. Hinc plures heredes instituti in solidum singuli non succedunt, sed in partes, quas nominavit testator, aut si partes non expressit, ex æquis partibus hæredes fiunt §. si plures Inst. d. hered. instit. quod de heredibus, idem de dominis dicendum est. Heredem enim ab herus deducimus; quia heres est herus hereditatis, & dominium rerum, maximè si suis sit heres, continuatur §. 2. Inst. d. hered. qual. & differ. §. 3. d. hered. qua ab intest.

## NOTABILE II

Heredem non per æ diphthongum, sed per simplex æ scribendum contendunt Treutl. vol. 2. disp. 12. th. 1. lit. A. D. Reban Hodeget. jur. chart. 2. Clim. 2. parallel. 1. n. 22. Neque obstat, quòd quantitas Syllabæ primæ in voce herus sit brevis, in voce verò heres producatur; Resp. argumenta desumpta à quantitate infirma & lubrica esse, cum Derivata eandem sæpè mutant, uti videre est in Tegula à Tego, Tutor à tueor, Ector à legendo &c. Aul. Gell. Noct. Attic. lib. 1. c. 3. Reban. cit. loc.

NO.

## NOTAB. II.

Quemadmodum nec duo in solidum domini esse possunt, uti jam dictum, ita duo non possunt eandem rem *in solidum* possidere l. 3. §. 5. d. acq. vel mitt. poss. quia contra naturam est, ut cum ego aliquid teneam, tu idem quoque tenere videaris. Extenditur hoc *in d. l.* ut nec diverso possidendi modo duo concurrere possint, explosâ scil. Trebatii opinione, ac si unus justè, alter injustè possideat, cum in materia possessionis parum intersit, an quis justè, an injustè possideat; cum non magis eadem possessio apud duos esse possit, quam ut tu stare videaris in eo loco, ubi ego sto, vel in quo ego sedeo, tu sedere videaris; rationes phisicas vid. apud Gothofr. *in not. ad d. l. 3. §. 3.* quas probat & sequitur Arumæus *ad ff. disp. 21. n. 11.* Rationem magis Juridicam proponit Hilliger in Donell. l. 15. c. 32. n. 11. quod nimirum possessio sive justa, sive injusta, ita tamen re completatur, ut alteri locus non sit. Nam omnem fundi locum ita sepsi, ut etiam si abiero, nequeat ab alio occupari; ubi autem redeunti animum possidendi ademisti, incipis solus, licet injustè, possidere D. Stryke *dissert. d. compossess. cap. 1. n. 13.*

## NOTABILE III.

Duo rem possidere possunt *diverso respectu*, unus *civiliter* alter *naturaliter*. Cum enim hi diversi respectus sint compatibles, nec alter alterum directò tollat, admitti hic poterit concursus, *arg. l. 25. §. 4. ff. d. precar.* Nec absurdum est, ut tu corpore stes in eo loco, quem ego animo detineo, vel ibi etiam sedeas. Et hanc sententiam probat l. 15. §. 4. d. precar. ubi is, qui precario rogavit, ut possideret, nanciscitur possessionem, is vero qui rogatus est, animo possessione propterea non discedit; & sic tali casu precarii possessio est penes utrumq; , apud unum corpore, apud alterum animo D. Stryk. *d. l. n. 25.* Pinell. *tit. C. d. bon. matern part. 2. n. 10. & seqq.* Et de quaestione ista: *An duo, vel plures in solidum unam & eandem rem, uno eodemq; tempore jam civiliter quam naturaliter possint possidere?* videatur Hieronym. de Oroz. J. & Burgvetensis in Regno Navarræ *libr. 4. de apicib. Jur. civil. cap. 10.* ubi tamen peculiarem fovere videtur sententiam.



S CAZON.

**N**on degener Parentis Optimi Proles,  
 KLESCHI Themista mens dicata caelestis  
 Patria quidem, Parente cum tuo, terras  
 Quâ dulcius nil, non sacra tamen Diva,  
 Quæ Præses æqui, quæ Tonantis asse strix;  
 Non & sacrarum, quas vocant suas Musæ,  
 Scientiarum, mastus exul es factus.  
 Usque usque constans cultor artium, Fautor.  
 Usque usque constans prosecutor Astræ  
 Sic perseveras? nec molestia plures  
 Vita exulantis diligentiam, ardorem,  
 Industriam fregere? ne morabantur  
 Quidem tuasmet indolis bonæ vires.  
 Hinc est, catâ quod sic in arte divina  
 Profeceris Themistos ex tuo voto,  
 Us ardui de Regulis queas Juris  
 Doctâ è cathedra disputare cum laude  
 Gratôque doctorum Audientium plausu.  
 Quod gratulabundus probo precans corde:  
 Constantiâ hâc Tu diligentia macte!  
 Constantiâ olim præmium ferēs dignum!

Quod ex animo vovet

PRÆSES.

**P**rofata mirandum Proles Tithone Colossum  
 Quondam habuit, veluti secula cana canunt,  
 Fulgentem quoties orbi Sol reddidit orbem  
 Vocale insonuit Memnonis ore caput:  
 Sic Tua dum primum Virtus se fulgida profert  
 Fit mea Vocalis muta que Musæ sonat.  
 Plurima jam celebrat quæ dat Deus incrementa  
 Et tollit mentis Symbola docta Tuæ.  
 Ipsa Themis lecti miratur acumen Alumni  
 Conceptam tacito spem premit illa sinu.  
 Hæc Tibi digna parat Virtutis præmia magnæ  
 Te simul his dignum mente animo que pares.

Emericus Fridvaldsky. H

**D**um Patria assiduis valide circumsonat armis  
Æquat amen non Tu Jura silere sinis.  
Interpres justa Themidos referare latentes  
Edoctus latebras abdita pande magis.  
Maeste animo primi dum das documenta laboris;  
Hinc studio celerem profer ad alta gradum.  
Irrita sic reddes sceleris conamina fœdi  
Et solves tristi pectora pressa malo  
Porro si dederis totus tua pectora LEGI;  
Dignus eris quondam tu simul ipse LEGI.

Sigimundus Berthothy, de Berthoth.  
N. H.

---

**S**emina sunt quædam nascentibus insita nobis;  
Queis duce naturâ, ad varias impellimur artes.  
Hic divinarum tractat fastigia rerum  
Humana affectans mysteria operta salutis.  
Huncce juvat Medica versatus in arte Machaon,  
Sectandumque capit studio fervente Galenum.  
Alter at Annales Veterum replicare laborat,  
Gestaque congestis producit plurima fastis.  
Sed Tu Romulidum sinuosa volumina legum,  
Vastum opus, aggredieris vigili pervolvere curâ,  
Sic Tua vis celsæ mentis nil linquit inausum;  
Intactumque nihil quod non expendit acute  
Felix Ingenii es, viridi cui detur ab ævo  
Longævos æquare Senes, superare Magistros.

Georgius Grundel / Hung.

---

**F**As poscit tantæ conamina maxima mentis  
Ut celebrem meritis, Teque sub astra feram.  
Sat laudabo Tuum tacitus dum miror acumen  
Nam Virtute Tua est laus celebrata satis.

Johannes Armpruster de S. Georg. N. H.







(X2256745).

ULB Halle


3

006 682 111



EV 17









1680, 256

1239

Müller

COLLEGII PUBLICI

Ad

Titul. Ult. Digestorum

DE

DIVERSIS

REGULIS JURIS

ANTIQUI

PARTIS POSTERIORIS

DISPUTATIO X.

Quam

PRÆSIDE

PETRO MULLERO

U. J. D. & Prof. Publ.

add. Januar.

Exercitii gratia exponit

Christophorus Daniel Klefch.

Hungarus.

JENÆ, Literis Müllerianis. 1680.

